CAP. VI.

Quomodo medicamentum fortius, compositione remittatur.

ATquè sic sentiendum de permixtione medicamenti simplicis, quod omnino caret vna facultate, qua indigemus. Quid, si nulla facultate requisita destituatur, habeat tamen fortiorem, quam pro recessu à naturali statu, est ne permiscendum cum altero, quod facultatis excessũ remittat, vt euadat, curando affectui penitus cõtrarium. Sanè, si vtricum tale simplex haberemus vincendo affectu efficacius. v. gr., si ventriculo refrigerato in 2. gradu, ha-

haberemus solum Piper, quod est calidum in tertio, vincitquè frigiditatem morbosam vno gradu, possemus eo simplici, atquè impermixto vti cum iuuamẽto, sed in minori quantitate, quam requirat, vt secundum tres gradus operari possit. Sicuti enim quantitas multiplicata fortiorem reddit actionem, ità detracta, & diminuta, imbecilliorem, quia agens pauco tempore agere potest, ideoq; continua repassione, ac ipsius à calore dissolutione vis eius cito exsoluitur, vt ventriculum sibi omnino assimilare non possit, infraquè tertium gradum subsistat. Præterea sicuti medicamentum imbecillius multa quantitate, longoquè tempore exhibitum, vincere potest affectum se fortio-

rem, quia ſenſim,& ſenſim illius retundit exſuperantiam: ità fortius medicamentum minori tempore, & quantitate applicitum cito vincere poteſt affectum ſe debiliorem,abſq; eo,quod contrarium affectum procreet; quià ignis non ſtatim producit ſummam caliditatem, nec aliud vllum agens ſtatim ſummas vires exſerit, ſed ad hoc determinatũ tempus poſtulat, & congruam quantitatem. Atquè hoc in caſu, ſi affectũ tolleremus remedio fortiori adminiſtrato, eo vſquè, donec morboſum exceſſum remouiſſet; adhuc dici poſſet remedium vſurpatum, eſſe affectui perfectè contrarium, quia illud non dicitur calidum in tertio, quod tot gradus habet caliditatis, ſed quod tot gradibus corpus

pus immutat. Sed enim, quia medicamentum fortius, nimis repentinam facit alterationem, quã natura sine virium dispendio, corporisquè iactationem nunquam tolerat, & insignem medici industriam postulat, nè cõtrariam inferat ęgritudinem: si alia simplicia non desint, quibus refrangi virtus potentior valeat, præstat admixtione debilioris, tot retundi gradus fortioris, quot partibus excedit recessum à naturali, ad hoc, vt medicamentum fiat oppuguando vitio prorsus contrarium; vt in dato casu, remittendus est beneficio alterius simplicis vnus gradus caloris in Pipere, vt fiat compositum calidum in secundo, frigiditati morbosæ in secundo ex æquo aduersarium.

Ve-

Verum quale sit hoc medicamentum remissum, cuius per mixtione refrangi possit valentius, magna est inter scriptores disceptatio. Conueniunt quidem in eo, quod remissum, debet esse tot gradibus tale, quot gradibus fortius excedit affectum, vt si excedat affectum vno gradu, remissum debet habere tantũ qualitatis oppositæ, quantum requiritur ad vincendum vnum gradum superfluum, quia hæc remissio, non nisi contrarietatis ratione perficitur. Hanc vero contrarietatem diuersimodè æstimant, ac repugnantibus propè modis deriuant.

Galenus e enim existimat, misceri medicamenta eiusdem generis, vt media pharmaca com-

e 6. Comp. per loc. 3.

comparentur, ideoq; monet, vt duo medicamenta eiusdem generis (puta calida,) sed actionis intensione contraria semper habeamus, vt variè permiscendo fortius cũ debiliori multis medijs pharmacis pro re nata abundemus: diuersi autem generis pharmaca eo fine tantum censet commiscerî, quando contrarijs operationibus, facultatibusquè ad affectus curationem indigemus. Itaquè docens *f* refractionis modum: si corporis, inquit dispositio quatuor numeris à naturali statu recedat, tot gradibus debet medicamentum esse symmetro validius, Quod si tale nullum adsit, si duo habeamus, quorum hoc numeris 5. illud 3. v. g. calidius sit, ea, si miscuerimus

f 1. *Comp. per. gen.* 3.

mus, medium efficiemus quatuor numeris ſymmetrum exuperans. Pari ratione ex calido in primo, & calido in tertio fiet calidum in ſecundo, ex calido in ſecundo, & calido in quarto, fiet calidum in tertio Ex temperato, & calido in ſecundo fiet calidum in primo, quia in omnibus eadem contrariorum proportio obſeruatur: vndè colligitur ex Galeni ſentẽtia, remiſſum eiuſdem generis, remittere intenſum ad medium vtriuſquè, ſi pari quantitate miſceantur. Quomodo autem quantitatis variatio ſimplicium alteret actionem, poſtea oſtendetur. Nititur verò Gal. experientia, & ratione. Experientia, quia cõſtat aquam tepidam mixtam feruentiſſimæ minus calefacere, quam feruen-

tem

tem ſolam. Ratione, quia intenſum agit in remiſſum, omne autem agens agendo repatitur, ergò virtus intenſi minuitur à remiſſo eiuſdem generis.

Aueroes contra exiſtimat intenſum non remitti à remiſſo eiuſdem generis, ſed à contrario, ac remitti tot gradibus quot partibus contrarium remiſſum excedit proportionem temperati. Itaquè coeuntibus v. gr. quatuor gradibus caloris, & 4. frigoris, pari portione, fiet temperatum, frigidum autem in 1. remittet calidum in 4. vno gradu: ex frigido in 2. & calido in 4. fiet calidum in 2, ex frigido in 1, & calido in 2. fiet calidum in 1, & ſic de reliquis, Non deſunt Auerrois validæ rationes.

Prima. Actio fit à virtute domi-

minante, ſed frigidum in 1. dominatur calori ſecundum vnum gradum tantum, ergò remittet calidum tantum vno gradu: ſi enim dicas, quod vltra vnum gradum caloris deſtruet, fateberis agens agere vltra ſuas vires.

Secunda. Remiſſio, cum ſit actio corruptiua, fieri non poteſt, niſi ratione contrarietatis: ſed remiſſum, & intenſum eiuſdem generis non ſunt inuicem contraria, ergo, non ſe remittunt, ſed potius fortificant.

Tertia. Experimur, capite vehementer refrigerato, oleum Roſatum perfuſum, quia eſt frigidum *in primo, vehemẽter* nocere, & iecore æſtuante vinum non admodum merax, quod calidum eſt *in* primo completo, lędere: at contrarium accideret, ſi re-

si remissum eiusdem generis remitteret intensum, quia minueretur morbosa intemperies.

Quarta. Si ex calido in primo, & calido in 3. fit calidum in 2, sequetur eandem esse rationem agendi contrariorum, quia etiam ex frigido in 1, & calido in 3. fit calidum in 2, fieri autem nequit, vt eadem actio consequatur frigidum in 1, & calidum in 1, quia frigiditas in frigido in 1. est actiuior, & dominans calori, frigiditas, quæ inest calido in 1. est debilior, & superata, inestquè calido non actu, sed potestate tantum.

In hac lite, quæ grauissima est, totiusquè negotij caput, cum plurimum interfit, calidum nè, an frigidum misceas, mirum est, quanta sit inter authores varie-

tas,

tas, & altercatio: nec immerito, cum res obscurissima sit, ac firmis vtrimquè fundamentis stabilita.

Vt igitur veritas percipiatur, operę pretium est aliqua supponere, in quorum notitia quæstionis momentum versatur. Primum est. Latitudinem cuiuslibet qualitatis intensæ communi cõsensu certis quibusdam gradibus definiri, qui ad inuicem ità se habent, vt secundus introduci non possit sine primo, & tertius supponat secundum, sicq; vsquè ad vltimum, nempè 8, qui reliquos 7. includit tanquam entitates integrãtes suam formam; quoque acquisito cessat intentionis motus: Vnde conspicuum est, qualitatis intensionem non fieri ex mera mul-

multiplicatione plurium gradduum, sed ex formali perfectione cuiuslibet gradus per acquisitionem alterius ordine consequentis, ità vt, si ponantur 2. agentia calida in primo simul, nunquam fiet agens calidum in secundo, nisi primus gradus per actionem calidioris agentis nouum gradum nanciscatur, quod serio est obseruandum, quia in hoc insignis error committitur, vt apparebit. Sicuti verò intensio fit additione noui gradus ad gradum, ità deperditione vnius, fit remissio. Deperditur autem vnus gradus, quia à contrario corrumpitur, nequè corrumperetur, nisi intẽsum reciperet actionem agentis contrarij, ac consequenter alteraretur ad qualitatem contra-

trariam, vt propterea rectè à philosophis statuatur, totam latitudinē qualitatis semper inesse materiæ, seù qualitas sit intensa, seù remissa. Quarè cum philosophi communiter 8. gradibus latitudinem istam componant, Nam intensio, & gradus qualitatum æstimata ex rei natura, est simpliciter incommensurabilis, si fiat remissio vno gradu, necesse est acquiri vnum gradum, v.g. frigoris, à quo gradus caloris corrumpitur, remanentibus alijs septem gradibus caloris: si remittantur duo gradus caloris, necesse est recipi duos frigoris, adeò vt naturalis mēsura portionis caloris, & frigoris &c. in vnoquoq; subiecto cōpleat latitudinem 8. gradum, vel intensorum, vel remissorum.

Hinc

Hinc colligo, qualitatem intensam, vt 8. habere totam suam perfectionem, sine admixtione actus contrarij; calidum autem, v. g. in 7. habere 7. gradus caloris, vnum frigoris, calidum in 6, sex caloris, 2. frigoris, calidum in 5, quinquè caloris, & 3. frigoris, temperatum vero dici quod 4. habet vtriusquè qualitatis oppositæ: quia denominatio nec fit à gradibus infrà medium, nec à gradibus paribus, *sed tantum à vincentibus.*

Quemadmodum verò à gradibus vincentibus, & suprà medium, fit denominatio, ità & actio, quia reliqui infrà medium contrarij remissi, insunt intenso potestate, agens autem debet actu esse tale. Hanc ab causam Medici tanquam artifices sensati,

ti, quiquè ſolam corporis alterationem à medicamẽtis factam intuentur, numerant cum g Gal. 4. tantum gradus, qui videlicet excedunt medium, quia conſiderant qualitatem medicamenti, vt eſt actiua in corpus, eſt autem actiua penes gradus cõtrariæ qualitati dominantes, at ſingulos gradus partiuntur internas manſiones, itàut tota latitudo qualitatis 12. partibus comprehendatur, quas *h* Gal. numeros vocat, dum ait ex medicamento calido quinquè numeris recedente à ſymmetro, & alio calido 3. numeris recedente pariter à ſymmetro, fieri calidum recedens 4. numeris à ſym-

g 1. *Simpl. vlt. & 1. de compoſ. per gen. 4.*

h 1. *Comp. per gen. 3.*

ſymmetro, in quo loco explicando, Valeſius inaniter laborat, præcipuè, vt gradus medicamenti ita partiatur, vt reperire poſſit 5. gradus ſuprà ſymmetrum, cum tamen Gal. per numerum intelligat gradus partem, non gradum integrum.

Illud igitur dicitur ſecundum Medicos tale in 1. gradu (cum autem dico abſolutè gradum, intelligi volo completum) qui ità debiliter corporis ſymmetriam immutat, vt præter ſenſum, aliqua ratiocinatione ſit opus; illud dicitur tale in 2. quod manifeſtè alterat corpus, vt non ſit opus ratiocinatione, illud in 3. cuius actio non tantum ſenſibilis eſt, ſed etiam corpori moleſta, illud in 4. quod iam corpus corrumpit, vt propterea

terea tot gradibus denominetur aliquod medicamentum tale, quot gradibus excedit proportionem temperati, ſeù frigus temperati. Ergo cum medicamentum temperatum habeat 4. gradus vnius, & 4. alterius qualitatis; ſi vno gradu recedat à medio, vincatquè, putà frigus, quod dicitur calidum in 1, habebit 5. gradus caloris, 3. frigoris, quod dicitur calidum in 2. habebit 6. gradus caloris 2. frigoris, & ſic deinceps. Quamquam *b* Valeſius ridet hanc rationem ſupputandi gradus, dicens, illud dici v. g. calidum in 1. quod auctum eſt vno gradu ſupra vires frigoris, illud in 2. quod duobus gradibus vincit frigus, atquè adeo ſecundum ipſum,

b Lib. x. cont. cap. xi.

ipsum, calidum in 1. habet caloris 4. partes, 3. frigoris, calidum in 2. habet 4. partes caloris, 2. frigoris, calidum in 3. habet 4. partes caloris 1. frigoris, calidum in 4. nihil habet qualitatis oppositæ.

Errat autem in eo, quod non aduertit, quot gradus generantur qualitatis vnius, tot corrumpi qualitatis oppositæ, neque faciendam esse denominationem à qualitate comparata ad numerum graduum qualitatis remissæ, sed ad proportionem temperamenti, sicut dicit Gal. illud dici calidum in 4, quod quatuor numeris recedit à symmetro. Nec est vllius momenti, quod ipse obijcit; si calidũ in 1. haberet 5. gradus caloris, 3. frigoris, futurum, vt esset calidum

in 2, contra hypoteſim, quia 5. ſuperant tria duobus; non enim dicitur calidum in primo, quod vincit frigus remanens vno gradu; ſed quod vincit frigus temperati, quod eſt 4. graduum. Sed inſtat. Si calidum in 1. habet quinquè gradus caloris, cum duo dominentur frigori, cur non denominant ſubiectum, ſed vnus tantum, dein, cur non operantur in materiam externam ambo, ſed vnus tantum? Iam dixi, illum gradum tantum denominare, qui excedit medium, ſicuti etiã ſolus operatur, ratio eſt, quia quartus gradus, qui continetur in quinto nõ habet virtutem immutandi corpus ſymmetrum nõ enim qualitatis actio menſuranda eſt graduum numero, ſed efficientia, quam-

ha-

habet supra corpus temperatum, vt mirer virum perspicacissimum in re tam clara cœcutire.

Notandum 2. in qualitatis intensione, quemlibet gradum superiorem additum inferiori proximè consequenti seruare cum ipso proportionẽ arithmeticam, quia 1. excedit symmetrũ vno 2^s 1^s vno, 3^s 2^m quantum 2^s 1^m, & 4^s 3^m, quantum 3^s 2^m non autem crescunt gradus proportione Geometrica, & dupla, vt vult Alkimd. quem sequitur *i* Capiuacceus, quia 3^{us} non operatur octuplo plus 1^o nec 1^s sexdecuplo.

Notandum 3. gradus sibi mutuò additos, non esse re distinctos, sed efficere vnam formam intensiuam, quia vnus perficit

i *Lib. de Comp. Med.*

alterum actuando ipsum, atquè inferior habet rationem materiæ, superior rationem actus, si inuicem comparentur. Hinc sequitur in actuatione medicamenti, gradus non separari à se inuicem, sed, quod dicitur habere sex gradus caloris, proinde est, ac si dicas, habere tantum caloris, vt possit producere duos gradus vltra symmetrum.

Quare donec medicamentum suam formam, ac specificum temperamentum seruauerit, gradus qualitatis remissæ nō agunt in intensos, cum quibus vnam formam cōstituunt: vnum enim non agit in se ipsum, sed postquam naturalis calor medicamentuum in sua elementa dissoluerit, quod omnino necessarium est, vt alio modo inuicem

mi-

miſceantur, nouumquè mixtum generetur, partes eleméti, cuius qualitas remiſſa cum oppoſita ſuperante vnum temperamentum conſtituebat, ſeparantur, fiuntq; diſtincta agentia, adeo vt partes calidæ eiuſdem medicamenti ſimplicis, agunt in frigidas &c. quod antè mixti diſſolutionem facere non poterant, quia à forma mixti vincebantur.

Quare pręclarè inquit Auerroes *loco citato*, partes remiſſas medicamenti ſimplicis eſſe velut media entia inter ea, quæ ſunt actu, & poteſtate, non enim ſun omnino actu, quia nec denominant, nec operantur, nec omnino ſunt poteſtate, quia virtutem intenſam remittunt, cum per actionem caloris noſtri in-

actum reducantur, facta elementorum dissolutione, quemadmodum videmus in lacte ab artificibus separari butyrum, caseum, serum, vndè elementa rursum in se agunt, nouumq; temperatum producunt. Et quia quantitas multiplicata fortiorem reddit actionem, licet virtuti agentis nihil addat, fit, vt plures partes elcmenti remissi coniunctæ, remittant pauciores partes elementi fortioris, licet nullum gradum producant vltra illos, quos habent.

Simon à Touar longè aliam init rationem graduum qualitatum elementarium. Nam cum supponat elementa remanere in mixto quo ad formas, & quo ad summas qualitates, remissas tamen quo ad vires, non quo ad gra-

gradus: virtutem agẽdo mixtorum referendam esse statuit, non in qualitatum gradus, qui ijdem semper remanent, sed in variam quantitatis elementorum proportionem, vt quo maior portio vnius elementis remanet in mixto, eo efficaciores sint illius elementi vires. Illud ergo secundum ipsum est calidum in 1, quod habet 4. portiones igneas symmetri, & præterea vnam quartam partem plus vna cum quatuor portionibus frigidi symmetri, illud est calidum in 2, quod præter quatuor portiones igneas, & 4. aqueas temperati, habet 2. quar. partes caloris, illud in 3. quod prẽter portiones, & calidas, & frigidas symmetri habet 3. quar. portiones calidas, illud in 4, quod præter por-

tiones 4. frigidas ſymmetri, habet 8. portiones calidas, ideſt duplum ad quatuor portiones igneas, quæ debentur ſymmetro. Cum igitur contrarios gradus ſimul eſſe concedat in ſummo, negat vnum medicamentum remitti ab alio vera reactione, & paſſione, ſed tantum exceſſus proportione vnius partis elementi aliam G. E. ex temperato, & calido in 4. fieri calidum in 2. non ab graduum refractionem, ſed quia ab molem temperati, & portiones eius frigidas impeditur actio calidi in 4, vt duos tantum poſſit gradus producere ſupra temperatum: vnde colligit ex remiſſo, & intenſo eiuſdem generis fieri remiſſius intenſo, intenſius autem

tem remisso, quia, vt videre est in dato exemplo, proportio æquarum partium est maior in mixto, quam erat in calido in 4, & minor, quam erat in calido in 2, si quidem calidum in 4. habet 8. portiones calidas, 4. frigidas, quæ proportio frigoris ad calorem est vt 1. ad 2, calidum in 2. habet 4. partes frigoris, & 6. caloris, quæ proportio est 1. ad 1. & sem. At in mixto sunt frigoris partes 8, caloris partes 14, quæ proportio est vt 4. ad 7. minor certè, quam propotrio 1. ad 2, maior autem, quam proportio 1. ad 1. & sem. Quia ergò mixtum habet 7. partes igneas, & 4. aqueas, dicetur calidum in 3. Quod autem remissio medicamenti fortioris non fiat graduum refractione, sed

ob dictam quantitatis proportionem, ſic probat. Miſceatur temperatum cum calido in 4, fiet ex Gal. poſitione calidum in 2, quod ſilicet ex noſtra ſuppoſitione habet 6. gradus caloris, & 2. frigoris. Conſtat in vtroque ſimplici coniuncto cõcurrere caloris gradus 12, 8. ſilicet calidi in 4, & quatuor temperati, & frigoris gr. 4. Reducantur ergò illi gradus ad latitudinem 8. graduum, ità vt 12. grad. caloris reducantur ad 6, & 4. frigoris ad 2, ergo 4. grad. frigoris corrumpent 6. grad. caloris, & 12. grad. caloris poterunt tãtum corrumpere 2. grad. frigoris, quod eſt abſurdiſſimum. Hoc autem non accidet, ſi dicas ab molem, & portiones frigidas temperati impediri

actio-

actionem calidi in 4, vt possit tantum producere duos gradus supra temperatum absq; refractione. Verum hæc opinio multis vrgetur difficultatibus, à quibus extricari vix potest. Nam, quod imprimis supponit. Primas qualitates seruari integras in mixto, & secundum gradum minimè refractas, aduersatur naturæ mixtionis, quam inquit Philosophus esse miscibilium alteratorum vnionem, alterationem autem esse motum ad qualitatem, apud omnes in confesso est, ergo fieri nequit qualitatis actiuæ alteratio, sine intensione, vel remissione gradus.

Nec dicas remitti vires, saluis gradibus. Primum, quia virtus agendi qualitatũ prouenit à formali earum perfectione, quam

defi-

definit certa graduum latitudo, vndè videmus in elementis calidis, & frigidis, vnumquodq; plus, aut minus calefacere, aut refrigerare, prout intenſiorem habet calorem, aut frigiditatem, ergo pariter in mixtis intelligi nõ poterit virium remiſſio, ſine remiſſione qualitatis, nequè reddi poterit ratio, cur *qualitas intenſa, poſt* mutuam actionem vires perdiderit, ſi nihil paſſa eſt. Deinde quęri poteſt: an elementa contraria, cum ad mixtionem concurrunt, in ſe mutuo agant, & patiantur, an non, ſi nihil agunt, quomodo mixtum producunt? ſi aliquid agunt, & frigus agit in calorem, ergo calor recipit frigiditatem, quia non poteſt intelligi actio frigoris in calorem, ſine paſſio-

ne

ne caloris, patitur autem, quia admittit actum contrariæ qualitatis, quod fieri non posset, nisi deperderet aliquid proprij caloris, quia frigus est contrarium calori, & consequenter mutuo sese expellunt ab eodem subiecto, ergo primæ qualitates in coitu elementorum refrangunter quoad gradus. Eadem ergo ratione contraria medicamenta cum sunt actuata à calore, agent inter se, & in corpus ex proportione propriæ virtutis, & maiori, aut minori graduum intensione, ad quam, vis, & efficacia agendi pertinet, nequaquam vero ad proportionem maioris, aut minoris quantitatis, quam, licet Philosophi requirant determinatam, vt vnumquodque agens operari possit secundum effi-

efficaciam ſuæ virtutis, principium tamen operãdi numquam conſtituerunt. Abſurdum eſt igitur arbitrari, remiſſionem intenſi medicamenti ſiuè iactura gradus fieri ſolum ob multitudinem materiæ agentis debilioris, & non ex propriæ virtutis efficacia, quemadmodum ridiculum quoquè eſt admittere in *medicamento intenſo* quatuor gradus qualitatis oppoſitæ ingredientes proportionem temperati, quià nihil poteſt intendi ſupra medium, niſi tot gradibus remittatur qualitas remiſſa, quot gradibus augetur intenſa, vt neceſſe ſit qualitatem ſummè intenſam nihil admittere actus oppoſiti. Deniquè remiſſionem intenſi medicamenti non fieri tantum ob maiorem, aut mi-

norem proportionem quantitatis contrarij remissi, patet in exẽplo ab ipso autore proposito. Inquit enim, temperatum remittere calidum in 4. ad 2. gradus, & producere calidum in 2, quia 4. portiones frigidæ temperati impediant actionem caloris in 4. vt duos tantum possit producere caloris gradus. Profectò in temperato par est ratio caloris, & frigoris, ergo portiones frigoris temperati, quia æquantur à portionibus caloris, non poterunt impedire actionem calidi in 4, aut si impedient non producetur calidum in 2, nam si portiones caloris temperati, addas portionibus caloris calefacientis in 4, erunt caloris portiones 12, & 4. tantum portiones frigiditatis temperati, vt

ca-

calor superet frigus triplo, qua proportione non superat calor agentis in 2. calorem temperati, ergò ex vi proportionis non producetur calidum in 2.

Ad rationem contrariam allatam, Respondetur, cõcurrente simul medicamento calido in 4, & temperato, facta vtriusquè actuatione à calore, partes frigidas temperati agere in calidas alterius, ex qua mutua actione, & passione, pereunt 2. gradus caloris agentis in 4, & remanent 6. caloris, vna cum 2. frigoris, qui expulerunt 2. caloris: vt propterea fiat calidum in 2.

In ea verò actione frigoris non corrumpuntur 6. gradus caloris à 4. gradibus frigoris, vt ratio adducta infert, quia 4. gradus caloris, qui inerant temperato,

nul-

nullã tribuunt vim agendi octo gradibus calidi in 4. cum octau. gradus includat 4, atq; adeò illius efficaciam. Vnde 4. gradus frigoris agunt in 8. gradus caloris, à quibus duplo ſuperantur: propterea ex mutua pugna remanet calidum ſuperans duplo (proportione ſilicet arithmetica) id eſt duobus gradibus frigus temperari, qua proportione calidum in 2. excedit temperatum. Cum ergò agens frigidum, vt 4. corrumpat tantum 2. gradus caloris, non agit vltra ſuas vires. Nequè rurſum in ea actione verum eſt 8. gradus caloris corrumpere tantum 2. gradus frigoris, quia agens calidum intenſum vincit, & corrumpit agens contrarium, ob inſignem agendi efficaciam, qua-

præstat : remanent tamen 2. gradus frigoris, non in agente contrario, sed in composito generato, quia vti dictum est, hoc ipso, quod calidum in 4. passum est à frigore, & perdidit duos gradus caloris, acquisiuit per alterationem duos gradus frigoris.

Cum ergò hæc ita se habeant, manifestè colligitur Galeni rationem remittendi intensum ad medium ex mixtione remissi eiusdem generis, illi quam tradit Auerroes longè esse præferendam, atquè ad Medicum vsum reuocandam.

Misceamus enim calidum in 1. cum calido in 3, & rursum, calidum in 3. cum frigido in 1. quorum alterum ex Gal. mente, alterum ex Auerrois assertione redu-

reducet calidum in 3. ad calidum in 2, corrupto silicet vno gradu caliditatis. Calidũ igitur in 1. habet caloris 5. gradus, & 3. frigoris: calidum in 3. habet caloris 7. grad., frigoris 1, collige gradus cuiuslibet qualitatis in composito, habebis frigoris 4. grad., 12. caloris: & quia latitudo qualitatis octo tantum grad. complectitur, ad quem numerum per muuam actionem, & passionem reduci debet 4. grad. frigoris, & 12. caloris: bipartire 4. grad. frigoris, & 12. caloris, habebis 2. gradus frigoris, 6. caloris; quià licet 1. gradus frigoris qui inerat calido vt 3. non addat maiorem vim agendi tribus gradibus frigoris, qui inerant calido vt 1. reddit tamen actionem ipsorum fortiorem-

rem, cum sit agens distinctum à subiecto, cui tres illi gradus insunt.

Clarum est autem, quod habet caloris 6. gradus, & 2. frigoris, esse calidum in 2. ergò ex calido, vt vnum, & calido, vt tria, fit calidum, vt duo, vt dicit Galenus, sicquè remissum eiusdem generis, remittit intensum ratione qualitatis cõtrariæ, quæ vtriquè inest, perq; actuationem separarur. Quod si iungatur calidum vt 3. cum frigido in 1, habebimus in composito 10. gradus caloris, & 6. frigoris, qui si vtrinquè bifariam diuidantur, vt priùs factum est, erunt caloris 5, frigoris 3. gradus: quod verò habet frigoris 3. grad. caloris 5. est calidum in 1, non ergò reducetur calidum

dum in 3. ad calidum in 2. ex permixtione frigidi, vt vnum, sed reducetur ad calidum in 1. quod imaginari non potuit Auerroes.

Sequenda igitur Gal. methodus, vt ex remisso, & intenso eiusdem generis componamus medium, quodquè de integris gradibus dictum est, intelligendum similiter de graduum stationibus, nam ex calido in 1, & $\frac{1}{3}$, & calido in 3, & $\frac{1}{3}$ fit calidum in 2. statione secundi gradus. Qui arithmeticam norunt, per regulam trium facile inuenient, quis gradus proueniat ex duorum mixtione: si dicas, ex calido in 1, & calido in 3. fit calidum in 2, quid fiet ex calido in 4, & temperato?

Si 5, & 7. dant 6, quid 8, & 4?

Vel

Vel si inuertas, & scire velis ex quorum mixtione fiet calidum vt 7, idest calidum in 3. Dicas: Calidum in 2. prouenit ex calido in 1, & 3, vndè proueniet calidum in 3, 6. dant 1; quid 7? 8. Breuius, & sine hac regula sic colliges: adde gradus denominantes inuicem, & diuide per medium, resultabit grad. ad quem compositum refrangetur, vt ex 1. gradu, & 3. caloris fiunt 4, diuide bifariam, restant duo gradus: ex calido ergò in 1. & 3. fiet calidum in 2.

Ad 1. verò Argumentum Auerrois. Respondetur, actionem cum victoria fieri à prædominante, intensum tamen posse remitti ab imbecilliori, quia repatitur. Quod autem frigidum in 1. reducat calidum in 3.

ad

ad calidum in 1. non est agere vltra suas vires, quia non producit vnquam, nisi vnum gradum frigoris supra medium: sed quia frigiditas inhærens calido vt 3. roborat post actuationem frigidi vt 5. operationem, fit, vt corrumpatur vltrà vnus gradus caliditatis, quia perseuerante actione frigidi vt 5, post corruptionem vnius gradus caloris, potest adhuc remittere alium gradum caloris. Quod si in actuatione medicamenti non fieret separatio agentium frigidorum à calidis, necessariò eueniret, vt imaginatur Auerroes, totquè gradus remitterentur qualitatis intensæ, quot gradibus contraria qualitas remissior medium excederet, propterea licet intensum eiusdem generis

remittatur à remisso, vt Galeno placet, censeo tamen non fieri hanc remissionem præcise ex efficacia virtutis contrariæ, sed ex agentis multiplicatione, ob quam roboratur actio, diutiusq; resistit agenti fortiori, quià dictum est. E.G. vnum gradum frigiditatis infrà medium, puta primum, qui est in calido vt tria non intendere virtutem 5. graduum frigiditatis in frigido vt vnum, quinquè enim gradus nõ intenduntur, nisi à 6° 7°, & 8°; Ideo nõ est taxandus Auerroes, cum loquatur dè remissione, quatenus precisè fieri potest secundum intensiuam efficaciam contrarij remittentis, Galenus autem, hac subtilitate neglecta, ea tantum amplectitur, quæ ad praxim spectant.

Ad

Ad 2. Respondetur, Intensum eiusdem generis non remitti à remisso, nisi ratione contrariæ qualitatis vtriq; inexistentis, quæ licet sit infrà medium, post actuationem tamen medicamenti fit distinctum agens, atq; adeò in contrarium operatur: quod fieri nō est possibile ante actuationem, quià qualitas medicamenti infrà medium nullam habet actionem, cum sit potestate tantum, non actu. Atq; in hoc sensu rectè Auerroes *Medicos* reprænderet, si ex intenso, & remisso eiusdem generis fieri putarent medium antè medicamenti actuationem. Nequè rationes prò Galeno adductæ, quatenus contrarium stabilire videntur, alicuius sunt momenti. Nam aqua tepida non redu-

cit feruentem ad minus calidam per positiuam actionem frigoris, quod inest aquæ tepidæ, quià illud frigus supponitur vinci à calore aquæ tepidę, ac proindè impediri ab ipso, quo minus immutare possit subiectum extrinsecum sed quia frigus aquæ tepidæ limitat calorem sibi coniunctum, vt tantum operari possit, & non vlterius, potest dici agere in calorem actione, si ità licet dicere, priuatiua, quod pariter statuendum est de gradibus qualitatis infrà medium coniunctis gradibus qualitatis intensæ. Ex tepida igitur, & feruente fit minus calida, quia adiuncta materia prohibet exactam applicationem aquę feruētis ad passum, ideoq; ipsius vires facilius disoluuntur,

quam

quam si sola aqua feruens passo applicetur. Quis non experitur Species Diatriumpipereon ad drac. j. sumptas minus vellicare; & accēdere linguam, quam medium granum Piperis solum? Nimirum, quia Piper cum multa altera materia confusū nō potest ęquè applicari linguę, ac impermixtum. At secundam rationem omnes ferè Medici demonstrationem putant, cum tamen nullius sit roboris. Intensum, inquiunt, agit in remissum eiusdem generis, quia non est ipsi adhuc assimilatum, sed omne agens corporeum agendo repatitur, ergo intensum remittitur à remisso eiusdem generis per positiuam actionem ipsius. Sanè decipiuntur ex modo, quo fieri existimant reactionem, & repas-

ſionem. Nam, vt agens agat, ſufficit, vt vincat reſiſtentiam passi, ratione cuius reſiſtentiæ dicitur agens repati: hæc autem reſiſtentia aliquando eſt idem re cum virtute actiua patientis, tuncque agens repatitur per receptionem actus oppoſiti, velut fit inter contraria; aliquando vero reſiſtentia eſt potentia purè *k* paſſiua, *ac in eo tantum conſiſtit*, quòd vel non facilè admittit virtutem agentis, vt ſi paſſum ſit durum, vel non poteſt totum ſimul aſſimilari agenti, ſeù quia agẽs imbecilliter agat, ſeù quia forma introducenda ſit ex natura ſua talis, quæ non niſi ſucceſſione, & tempore acquiri poſſit. Atquè ſecundum hanc reſi-

k Vid. Soarium diſput. Met. diſput. 43. ſect. 1.

resistentiam agens dicitur repati, non quia per positiuam actionem à patiente afficiatur, sed, quià omne agens finitum agendo fit imbecillius, saltem ob materiæ cui inest distractionem: vel dicitur repati priuatiue, quia non potest sine conatu passum sibi assimilare.

Cùm igitur intensum eiusdem generis agit in remissum; quia nulla est qualitas in remisso, puta calido in 1. quod positiuam habeat actionẽ, nisi quod est supra medium, calidum vt tria non repatitur positiuè à calido in 1, quia nullam habet cum ipso cõtrarietatem, sed dicitur repati priuatiuè, quia non potest calidum in 1. tam citò sibi assimilare, seù eius resistentiam vincere, sed tempore indiget. Quare

licet Gal. sententiam amplectar, dè modo intensum remittendi, non tamen ob rationes pro ipso allatas, sed, quia in actuatione, agentia contraria separantur, sesequè inuicē retundunt, vti dictū est. Sed redeo ad Auer. arg.

Ad 3. ergò dico, posito, quod remissum eiusdem generis remittat intensum, non sequi, oleum Rosatum capiti perfusum debere insignem cerebri frigiditatem remittere, quià impar est agendi ratio medicamenti in partem, & medicamentorum inter se. Nam medicamentum agit in partem secundum qualitates vincētes, ideo oleum Rosatum, in quo frigiditas vincit, non remittit, sed fouet cerebri frigiditatem: at, si misceatur oleo Nenupharino, quod est frigi-

gidum in tertio; post actuationem, partes calidæ inexistentes vtriquè oleo in actu positæ, frigiditatem excedentem vtriusq; refringunt ad medium; aut certè oleum frigidius ob distractionem subiecti, cui inhæret, non potest agere secundum suas vires, quemadmodum fecisset antè mixtionem.

Ad 4. patet responsio, non enim calidum in 3. reducitur ad eumdem gradum à calido in 2. & frigido in 1, sed ab illo reducitur ad 2. ab isto, ad 1. ob causam commemoratam. Quod de primis qualitatibus est dictum, obseruandum quoquè in facultatibus secundis, vt intensum retundatur à remisso eiusdem generis ad medium: velut, si sit adstringendum in 2. gradu,

habeamus autem Rosas, quę adstringunt in 1, & Gallas, quæ adstringunt in 3, facta vtriusq; in pari quantitate commixtione, resultabit compositum adstringens in 2. & sic de cœteris. Quamquam non sum huius opinionis, vt existimem, hanc reductionem ad medium in facultatibus secundis, imò, nec in qualitatibus primis passiuis, fieri per positiuam actionem remissi in intensum, sicuti qualitatibus primis actiuis euenit, sed potius fit medium, quia materia fortioris confusa cum debiliori non potest tam efficaciter operari, ac si sola admoueretur. Etsi enim ad mutuam actionem caloris, & frigoris consequenter fit aliqua facultatum secundarum immutatio, ea tamen, vti,

su-

supra monui, debilis est, cum facultates secundæ non minus dependeant à modo quãtitatis, & passiuis qualitatibus, quam actiuis. Quemadmodum verò hæc reductio ad medium commodissimè fit, quando nobis nõ desunt opportuni gradus intensi, & remissi eiusdem generis, ità nolim quempiã arbitrari, alium modum fortioris virtutis debilitandæ non dari, nec esse à Galeno propositum. Cum enim ad actionem, præter efficaciam agentis requiratur quantitas debita, potest remitti actionis vehementia, vel remissa agendi facultate, vel agentis quantitate imminuta, qualitate interim nulla ex parte immutata. Nam, vt ait l Auerroes, agens vnum-

l 5. Coll. 58.

quodq; determinatam postulat quantitatem, vt secundum efficaciam virtutis suæ operetur, qua quantitate imminuta, debiliorem fieri actionem oportet, quoniam viribus agentis citius dissolutis exiguo tempore durat actio.

Itaquè si ad debilitandam facultatem robustiorem, quam nostro inseruiat instituto, desit nobis remissum eiusdem generis, eo gradu, qui requireretur, ad reducendum intensum ad determinatum gradum, possumus variè aucta, diminutauè alicuius simplicis quãtitate, quam cupimus, duplici modo comparare: vel componendo medicamenta eiusdem generis, vel contraria. Si habeamus medicamenta eiusdem generis, puta calida,

lida, quorum alterum sit intensum, alterum remissius: vel remissum est in eo gradu, vt mixtū pari quantitate cum fortiori, virtutem ipsius relinquat adhuc fortiorem, quam conueniat curando affectui; velut, si intensum calidum sit in 3. gradu intenso, remissum vero calidum in 1. cōpleto, sit autem nobis opus calido in 2. incipiente: cum ex calido in 1. & calido in 3. completo resultet compositum calidum in 2, pariter completo, virtus intensi relinquitur adhuc fortior, quam sit curandus affectus. In quo casu, aut augenda est quantitas remissi tot partibus, quot numeris relinquebatur compositum fortius, remanente interim quantitate fortiori; aut relicta quantitate remissi, quod me-

melius eſt, tot partibus minuenda eſt quantitas intenſi, quot partibus remanebat cõpoſitum fortius affectu ipſo. E. G. drac. j. Piperis calefacit in 3, & drac. j. maſtiches in 1, vtroquè mixto, fiet compoſitum calidum in 2. intenſo, volumus autem calidum in 1. ſtatione ſecundi. Cum remaneat medicamentum duabus partibus calidius, quam optamus (dico autem duabus partibus, ſumptis ex 9. ſtationibus, in quas 1ⁱ 2ⁱ, & 3ⁱⁱ gradus diuiduntur) vtroq; modo reſultabit cõpoſitum calidum in 1. ſtatione ſecundi gradus, ſi ⅔ vnius drachmæ aufferas Piperi, relicta drac. j. Maſtiches, vel ſi relicta drac. j Piperis, addas ⅔ vnius drachmæ Maſtichi, ità vt ſumantur Maſtichis ſcrup. iij, &

gr.

gr. 14. In hoc exemplo non requiro veritatem, cum nondum constet, quæ quantitas Piperis requiratur ad producendum totum calorem, quem habet, sed dato, quod requireretur drac. j, potes hoc exemplo in omnibus alijs dictam regulam obseruare, non modo in primis, sed etiam secundis, & tertijs facultatibus. Quod si è contrario remissum sit in eo gradu, vt mixtũ cum fortiori, virtutem ipsius nimis debilitet, adeo vt virtus cõpositi debilior sit curando affectu, vel tot partibus est minuenda quantitas remissi, quot partibus virtus cõpositi imbecillior redditur, quam conueniret, relicta interim quantitate fortioris: vel relicta quantitate remissi, tot partibus augẽda est quantitas

titas fortioris, quot partibus reſultabat virtus imbecillior; vt in dato exemplo, ſi calido indigeremus in 1ª ſtatione tertij gradus, cum ex pari quantitate Maſtiches, & Piperis fiat calidum in 2. intenſo, nimis eſſet debilitata virtus Piperis, vna ſilicet parte: quare, vel vna parte minuenda eſt quantitas Maſtichis, vel hac relicta augenda eſt vna parte quantitas Piperis.

Quod ſi habeamus medicamentum intenſum, v. g. Calamentum, aut Cinnamomum, calidum vtrumquè in 3, nullum autem adſit remiſſum eiuſdem generis, calidumquè, habeamus autem remiſſum frigidum, vt Roſas (idem intelligendum de 2. & 3. facultatibus.) Remittenda eſt virtus intenſi ad-

mi-

mixtione contrarij, sed inęquali mensura, nimirum, vel minuendo quantitatem Rosarum, vel augendo quantitatem Calamenti, aut Cinnamomi. Exemplum. Sit curandus ventriculus frigidus, vt duo, indigemus calido, vt duo, habemus autem Rosas, & Cinnamomum, quibus æqua portione mixtis, puta ad vnc. j, resultat compositum calidum, vt vnum, debilius vno gradu, quam optamus. Tamen, si vna parte minueris Rosarum quantitatem, quæ nimis agunt in calorem Cinnamomi; vel vna parte auxeris quantitatem Cinnamomi suprà Rosarum mensuram (quod non æque bonum, propter molem medicamenti nimis excrescentem) fiet compositum calidum, vt duo. Quæ

autem

autem sit illa quãtitas, ad quam, vel minui Rosę debent, vel augeri Cinnamomum, facillime colligitur per regulam trium inuersam, hoc modo, 5. gradus caliditatis (id est vnus suprà mediũ) proueniunt E. G; ex octo drachmis Rosarum. 6. gradus caliditatis (ideſt duo supra mediũ) ex quot drachimis prouenient? *Duobus primis numeris in se ductis, & diuisis per tertium*, reperies 6. $\frac{2}{3}$ Dices ergò vnc. j. Cinnammomi, miscendas esse drac. vj, & scrup. ij. Rosarum, vt fiat compositum calidum in 2. Si augere velis quãtitatem Cinnamomi supra vnc. j. Rosarum, sic facies ratiocinationem, per regulam trium rectam, Si 5. gradus caloris proueniũt ex viij, 3. Cinnamomi mixti æqualiter cũ

Ro-

Rosis. 6. gradus caloris ex quot 3^{is} proueniente? Si secundus numerus ducatur in 3^{m}, & diuidatur per 1^{m}. proueniẽt 9. $\frac{1}{3}$ vnius drachmæ: miscendæ erunt igitur vnc. j. Rosarum drac. viiij, & scrup. j. Cinnamomi.

Verum, vt apparet, ratiocinatio per Regulam Trium, supponit cognitionem quantitatis determinatæ vtriusque medicamenti miscendi, quam certè per rationem vix possumus exactè consequi, sed magis per experientiam, vt infrà patebit. Propterea Galenus ex duobus contrarijs medicamentis, volens vnum medium constituere ad generandam carnem, cum casu nihil haberet præter æruginem, quæ potenter siccat, carnemquè liquat, non reficit, proponens

sibi

ſibi æruginis ſiccitatem humiditate olei temperare ad 2m gradum, ac incertus, qua menſura oleum ærugini eſſet commiſcendum, facta commixtione olei cum ærugine ad duodecuplam portionem, explorauit per remedij vſum, an iuſta eſſet vtriuſquè ſeruata portio. Sed quomodo cuiſq; quantitatem rationabiliter inueſtigemus, poſtea dicam: nunc enim tantum de ea loquor, quatenus facultatem debilitat, roboratuè.

Ex dictis duplex emergit in debilitanda facultate fortiori difficultas. Cum enim debilitetur, vel à contrario, remiſſa facultate, vel actione ſolum debilitata ob quantitatis inæqualitatem; ſi plura, quam duo, componenda ſunt medicamenta, vel

eiuſ-

eiusdem, vel diuersi generis, quandoquidem ob 3^m^ confunditur proportio, quam explicaui inter duo simplicia, quomodo conijciemus, qua quantitate sit vnumquodq; cõmiscendum, vt resultet gradus quem desideramus? Sit enim calefaciẽdus ventriculus, vt duo, ac proptera adstringendus, sitq; nobis prę manibus Melissa calida in 1, & Calamentum calidũ in 3, constat ex vtroq; æqualiter mixto fieri cõpositum calidum, vt duo, sed tamen sinè adstrictione: vndè si habeamus Cyperum, qui est calidus in 2. incipiente, & adstringit, necesse erit miscere quoquè Cyperum gratia adstrictionis, sed perturbatur proportio caloris ob caliditatem Cyperi: quantum erit igitur sumendum Cyperi

peri, vt medicamentum adſtringat, & in 2. calefaciat? Vel ſi loco Cyperi, habeamus Roſas, adeo vt contraria permiſcere cogamur, magis adhuc cõfundetur proportio caloris, & frigoris medicamenti calidi in 1. & calidi in 3, ac propterea quantitas ſingulorum difficilior erit cognitu. Nihilominus ſingulorum quantitatis proportio non magno negotio reperietur, alligando gradus ſimilis qualitatis, conſtituto prius medio gradu, quem ex omnium compoſitione optamus.

Si igitur in primo exemplo, 5. grad. caloris Meliſſæ, & 7. Calamenti, & 5. ½ Cyperi ſimul alligaueris, conſtituto medio gradu, quem optamus, 6. graduum videlicet, ac medium nume-

numerum multiplicaueris in singulos gradus propositorum simplicium, diuiseriſquè per differentiam ipſorum à medio, Medius gradus caloris.

6	5	1	Meliſſæ
gr.	7	$1\frac{2}{3}$	Differentię graduum cal. à medio Cyperi.
Cõpoſ.	$5\frac{1}{3}$		

$3\frac{2}{3}$ 6	5?	$8\frac{2}{11}$	quãtitat. Meliſs.
	7?	$11\frac{5}{11}$	Calamenti.
	$15\frac{1}{3}$	$8?\frac{8}{11}$	Cyperi.

$\frac{2}{3}$ Summa differentiarum.

reperies Meliſſæ partes $\frac{2}{11}$ Calamenti partes 11. $\frac{5}{11}$ Cyperi partes 8. $\frac{8}{11}$.

In

In altero vero exemplo, quoniam Roſarum frigiditas excedit ſymmetrum, vt fieri poſſit alligatio, ſumẽdi ſunt 3. gr. caloris qui ipſis inſunt infrà mediũ.

gr. compoſiti. 6.	gr. caloris		Differẽtię
	5. meliſs.		1.
	7. calam.		13.
	3. roſarũ.		1.

			Quantitas.
	5?		5. Meliſſæ.
6.	6. quid	7?	7. Calaméti.
		3?	3. Roſarum.

Nam facta ratiocinatione, conſtabit ſumendas eſſe 5. partes Meliſſæ: 7. partes Calamenti, 3. partes Roſarum: vt ex omnibus tribus vna mixtis fiat compoſitum calidum in 2. ſimulquè adſtringens. Eadem regula ſecundis facultatibus inſeruiet, ſi

more

more primarum, in certos gradus distribuantur, ac inuicem ad mediam facultatem, qua opus habemus, alligentur.

Colligatis igitur, medicamentum intensum, si solum habeatur, dari posse; tot partibus imminuta ipsius debita quantitate, quot gradibus est intensius curando affectui; Si aliud remissum eiusdem generis nõ desit; compositum ex vtroq; reducitur ad medium vtriusquè, seruata vtriusquè pari quantitate. Quemadmodum ex duobus contrarijs gradu dissimilibus, pari quantitate commixtis, perpetuo resultat remissum debilius vna parte medium, quam resultaret ex mixtione intensi, & remissi eiusdem generis. Nam ex cal. vt 1, & calidum vt 3. fit

calidum vt 2, ex calido vt 3, & frigido vt 1. fit cal. vt 1, vno gradu debilius calido vt 2. Temperatum vero, ſi contraria pari exceſſu ſymmetrum ſuperauerint. Quod ſi remiſſum eiuſdem generis, vel cõtrarium idoneum ad remittendum fortioris exceſſum deſit, vel augenda erit remiſſioris doſis, ac minuenda intenſioris, *vel à contrario*, minuenda remiſſioris, & augenda intenſioris, prout virtus intenſi, nimis parum, aut multum debilitari videbitur.

Hinc aliud dubium expullulat, propter Auerroem, qui hac in parte vix aliquid intactum prætermiſit, Dubium eſt, quid per æqualem quantitatem audiendum ſit: quando dictum eſt, ex duobus contrarijs eiuſdem gra-

gradus, pari quantitate commixtis, fieri compositum temperatum, & ex duobus eiusdem generis, gradu autem dissimilibus, fieri compositum medium, inter excessum vtriusque. Nam admonet Auerroes, quantitatis æqualitatem non mole; sed virtute esse mensurandam, quandoquidem vnum contrarium (vt calor) actiuius est altero, atquè adeo frigus superabit, licet corpus frigidum mole non vincat. Similiter duo agentia contrari, quorum alterum sit densum, & compactum, alterum rarum, & cito diuisibile; non habent parem agendi celeritatem, ac robur, nec similem resistentiam, ergo quantitatis æqualitas non erit mensuranda magnitudine, sed agendi efficacia.

Pro ſolutione, ſciendum eſt, quantitatem continuam ſpectari bifariam, vel ratione magnitudinis, quæ conſurgit ex tali, & determinata extenſione materiæ, vel ratione ponderis, quod potiſſimum ex multiplicatione materiæ prouenit, non cauſaliter, quia materia per ſe nullius actionis eſt principium, ſed diſpoſitiue, quia formæ, à quibus manat grauitas, multam materiam requirunt. Cum igitur forma naturalis corporea ſit coextenſa materiæ, ac propterea multum formæ in multa materia reperiri neceſſe ſit, multa autem forma fortius operetur, rectè fit à Medicis, quod medicamentorum quantitatis æqualitatem non magnitudine, molę q; dimetiantur, ſed pondere, ſeu, vt ait

Auer-

Auerroes, virtute, quæ pro ponderis ratione, non dico intensior, sed robustior fit, ac vegetior.

Hoc tamen intelligendum est de medicamentis simplicibus eiusdem generis, & gradus, aut de contrarijs eodem excessu superãtibus medij proportionem, horum enim actio roboratur pro ponderis incremento, quia plus formæ cum pluri materiæ multiplicatur, Nam simpliciter est falsum, formæ entitatem, vt est principium maioris, aut minoris virtutis agendi, crescere ad multiplicationem materiæ, quia cum forma sit extensa per accidens, ac vis intrinseca ipsius agendi sequatur formæ perfectionem, non extensionem: potest forma actiuior suum effectũ

edere cum pauciori materia, ac faciat forma minus actiua. Imò videmus ea agentia esse magis actiua, quæ longius recedunt ab admixtione materię, quia nimirum plus participant de forma, non quo ad ipsius extensionem, sed quo ad intrinsecam perfectionem, & agendi efficaciam. Illa ergò dicetur æqualis quantitas agentium perfectione, & graduum intẽsione dissimilium, quæ est vtriq; proportionata, vt secundum virtutem suam operetur. Velut, si calidum in 1. requirit pro sua operatione vnc. j. & calidum in 3. requirit pro sua operatione drac. iiij. si illius accipiam vnc. j, huius autem drac. iiij, dicentur misceri æquali pondere, proportionato nimirum suæ virtuti. Et hoc est,

quod

quod vult Auerroes, quando quantitatem vult mensurandam esse virtute, non pondere.

CAP. VII.

Quomodo virtus debilis compositione roboretur?

SI virtus simplicis medicamenti debilior sit, quam postulet curandi affectus magnitudo, potest quidem sine compositione roborari, tot partibus adacuto ipsius pondere, quot numeris superando affectu imbecillior est, cum certum sit mitiora remedia multa quantitate, diúq; exhibita, affectus sæpe fortiores tandem euincere, sed tamen nec quilibet eam medicamenti molem perferre potest